



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. VI. De connexionem & permanentiâ virtutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

*In appetitu  
sensitivo  
ponunt ali-  
qui impro-  
prie virtu-  
tes.*

aliquo modo facilitantes. Ait tamen hos habitus non esse proprie virtutes: sicut enim actus ab appetitu sensitivo elicit non sunt actus virtutis, cum non sint boni moraliter. Hinc S. Gregorius lib. primo Moralium, cap. 39. sic habet: *Neque enim unaquaque virtus vere virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.* Et S. Hieronymus Epistolâ ad Fabiolam: *Herent sibi, inquit, & ita inter se connexa sunt (virtutes) ut qui unâ caruerit, omnibus careat.* Idem docet S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Thomas & alii.

SECTIO SEXTA.

De connexione & permanentiâ virtutum.

**I.** QUERITUR quartò, Utrum una virtus esse possit sine aliâ, vel an ita sint inter se connexæ omnes, & ut dici solet, concatenatæ, ut una sine aliis existere non possit. Sermo autem est tum de supernaturalibus virtutibus, tum naturalibus, circa quas variâ fieri possunt comparationes: sed quia ut rectè hic P. Arriaga Disp. 36. sect. 2. res hæc non est magni momenti & fere de modo loquendi, eam quam possum paucissimis expediam.

**II.** Quoad virtutes itaque supernaturales, nec Spes sine Fide, nec Caritas in viâ sine Fide & Spe esse potest. Dixi in viâ, in patriâ enim Caritas, eaque perfectissima sine Fide reperitur, quod enim Fides viatoribus, hoc visio beatifica longè præstantiori modo præstat beatissimis, Deumque iis clarè, quod fides obscurè facit, repræsentat, & ad eam amandum excitat.

**III.** Caritas etiam sine virtutibus moralibus acquisitis esse potest, non sine moralibus infusis: ita S. Thomas hic, q. 65. art. 3. estque communis Doctorum sententia. Prima pars constat in infantibus, quibus in Baptismo Caritas infunditur, qui tamen nullum tunc virtutis actum exercent, sicque virtutes hæc non habent, quæ ideo vocantur acquisitæ, quod per actus comparentur. Secunda etiam pars de virtutibus infusis est communis sententia Theologorum. Ratio est: Caritas, siquidem (ponamus eam à gratiâ distingui) nunquam infunditur sine gratiâ, gratia autem vel est radix cui huiusmodi virtutes morales infusæ conaturaliter debentur, ut communior habet Theologorum opinio, vel ut alii volunt, talem ex decreto Dei cum gratiâ habent connexionem, ut eâ destructâ has nolit persistere, eâ conaturaliter possent. Quamvis autem, ut num. 9. diximus, Caritas esse nequeat sine Fide & Spe, Fides nihilominus esse potest, imò sæpe existit sine Charitate, ut contra sectarios est definitum, & non semel traditur in Scripturâ: quod similiter de Spe est affirmandum.

*Charitas sine  
Fide & Spe  
potest esse  
sine Charitate.*

*Cur sine vir-  
tutibus mor-  
alibus in-  
fusus reperiri  
æqueat  
Charitas.*

*Fides & Spes  
possunt esse  
sine Charitate.*

**IV.** Virtutes morales, acquisitæ quoad entitatem à se invicem separari possunt, quoad statum tamen perfectum sunt inter se necessariò connexæ. Prima pars probatur: cum enim, ut dixi, non nisi per actus & exercitationem comparentur, & quidam in unâ virtute se exercent, non in aliâ, quam in illâ excellunt, in hac deficiunt, imò contrario huic vitio possunt esse addicti. Conf. nam unaquaque virtus habet suam honestatem ab aliis distinctam.

*Virtutes mor-  
ales acqui-  
sitæ possunt  
quoad enti-  
tatem sepa-  
rari.*

Secundavero pars, nullam scilicet virtutem ac-quisitam, nisi in consortio aliarum omnium esse perfectam, communi est sententia, & passim tum à sacris tum profanis auctoribus tradita. Hinc S. Gregorius lib. primo Moralium, cap. 39. sic habet: *Neque enim unaquaque virtus vere virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.* Et S. Hieronymus Epistolâ ad Fabiolam: *Herent sibi, inquit, & ita inter se connexa sunt (virtutes) ut qui unâ caruerit, omnibus careat.* Idem docet S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Thomas & alii.

Notandum verò, cum dicimus virtutem aliquam ab aliis virtutibus perfici, non esse hoc intelligendum de perfectione intrinsecâ illius virtutis, hanc enim ex solâ suâ entitate habet, non aliunde. Sermo ergo tantum est de perfectione extrinsecâ; cuius enim virtuti ex alterius consortio splendoris aliquid accrescit, & mutò se ornant sicut diversi coloris & formæ flores in eodem fasciculo. Deinde jvant se invicem virtutes, ut facilius, & constantius operentur, tollendo scilicet impedimenta, quæ intervenire possent. Questio tamen est de modo loquendi: illud certum, etiam ad hanc virtutis acceptionem, & ut homo dicatur simpliciter rectus & studiosus, non requiri nisi connexionem earum virtutum, quæ ad humanam vitam componendam ordinandamque sunt simpliciter necessariæ, non verò virtutum quarundam extraordinariarum, ut Magnificentie & similibus, quæ ad hoc munus absolute non desiderantur.

Quoad secundum in titulo propositum, virtutum scilicet permanentiam, virtutes morales infusæ, ut dictum est, destructâ gratiâ destruantur, non tamen Fides & Spes, quæ etiam in peccatoribus persistunt.

Circa morales acquisitas, in beatis manent semper, in damnatis verò quamvis exiguo tempore post mortem perseverent, per actus tamen contrarios brevi corrumpuntur, ut ait S. Thomas; sed si anima separata non esset in misero illo statu, possent diu in eâ permanere. Siqui tamen sint habitus boni in sensibus, destructo homine corrumpuntur: ita Suarez hic, Disp. 3. sect. 10. num. 8. & alii: utrum autem in corporis resurrectione denovo à Deo reproducantur, in beatis puto reproduci, in damnatis verò non est cur reproducantur, & in gratiam ipsorum Deus hoc miraculum patret, hunc scilicet ornatum in iis reproducendo, maxime cum nullum effectum habituri sint, & statim peractus contrarios destruendi.

Tandem quoad virtutes intellectuales, scientias scilicet naturales, quas homines in hac vitâ labore & industriâ compararunt, dicendum eas in beatis permanere, ut supra ostendi, Disp. 84. sect. 2. juxta illud S. Hieronymi, *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in caelis.* Quoad damnatos verò, etiam in illis verisimiliter manebunt, cum sint merè naturales. Inde tamen magis cruciabantur, cum honoris illius & affirmationis recordabuntur, quæ ex illis olim consequerentur, & quòd jam orbati omni honore sint, & in summo dedecore in sempiternum constituti. Veniet etiam iis in mentem quo pacto ex illis ad Dei cognitionem & anorem ascendere potuissent, & hoc modo æternam beatitudinem consequi, quod acerbissimum iis dolorem creabit, æternum duraturum.

**V.** *Ostenditur  
nullam vir-  
tutem, nisi  
in consortio  
aliarum,  
esse per-  
fectam.*

**VI.** *Quo sensu  
una virtus  
ex aliis  
consortio  
perficitur.*

*Quarum  
virtutum  
connexio ad  
hanc de-  
terminationem  
requiritur?*

**VII.** *Virtutes mor-  
ales infusæ  
perent cum  
gratiâ.*

**VIII.** *Quomodo  
post mortem  
permaneat  
virtutes mor-  
ales acqui-  
sitæ.*

*Quid de ha-  
bitibus bonis  
in appetitu  
sensitivo.*

**IX.** *Virtutes in-  
tellectuales  
post mortem  
manebunt.*

*Damnati  
nihil ex his  
virtutibus  
capient con-  
suetudinæ.*